





30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

*Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.*







A. A. C. C.  
 DISPUTATIO  
 EXERCITATIONUM PHILO-  
 SOPHICARUM XXXIII.

De  
**DEO, INTELLIGEN-**  
**TIIS, ET ANIMA RATIO-**  
**NALI,**

Quam,  
*Trisagio adjuvante Numine,*  
 SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILEMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,  
*Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,*  
**HINRICUS MECHOVIUS**  
 Stadensis Saxo,

*In celeberrimâ VVittebergensi Academia,*  
*ad diem 19. Januar. horis 8 loco solitis.*

Cyprianus in Symb.  
*De Deo etiam vera dicere pericul'osum est.*

VVITTEBERGÆ,  
 Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.





*[Faint, mostly illegible text in a medieval script, possibly Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and appears to be a dense manuscript entry.]*

*[A prominent section header or title, written in a larger, bolder script than the main text. It appears to be a name or a specific title, though the characters are difficult to decipher.]*

*[A block of text, possibly a list or a specific entry, located in the middle of the page. It contains several lines of script.]*

*[Another block of text, continuing the manuscript's content. It includes a large initial letter, possibly 'D', which is partially legible.]*

*[A final block of text at the bottom of the page, possibly a concluding sentence or a reference.]*

*[Faint text visible on the right-hand page of the open book, showing the edge of the text block.]*





P R A E L O Q V I U M.

**B**ENE & verè Laclantius, cum Sapiencia tum Eloquentia alu-  
 xnu, monuit: Omnis Sapiencia Hominis in hoc uno esse debet, ut Deum  
 cognoscat & colat, lib. 3. Instit. e. 30. Nam cum homini, ut olim Plati-  
 nus exclamabat, propositum sit, non ut hominibus, sed ut Deo reddere-  
 tur similis, quippe cum in re hac ejus perfectio maximè sit reposita lib. 10.  
 Etb. 1; Hocq; ipsum verò aliter fieri penitus nequeat, quam per duo illa à Laclantio no-  
 tata, nosse scilicet supremum Illud numen, & venerari: ( Prius enim est Deum scire con-  
 sequens colere, Idem Lacl. 4. Inst. e. 4. ) Ideò illum ad hæc, ceu scopum ad præfixum,  
 sua omnia cum dogi, cum auctori referre non tantùm convenit, sed est & necesse tam,  
 quam quod maximè. Sunt autem duo, quæ in Dei cognitionem Nos ducunt, Scriptura  
 & creatura, August. super Psalm. 34: In illa illum quasi directò, in hac ceu per transen-  
 nam intuemur; In illa lux hujus rei vera, in hac sparse quasi quedam habentur scintil-  
 lulae, in quibus tamen colligendis, quanta est mentis humanæ obscuritas, quanta difficul-  
 tas! Vel pro testimonio dicit tum Simonides, Philosophus non humilissimi spiritus, qui ab  
 Hierone Syracusarum tyranno, quid Deus sit, interrogatus, spatium ad deliberandum  
 anxie & anxie petijt, tandem quò acrius mentem intendat, eò minus se intelligere pro-  
 palam fassus est, Cic. in lib. 1. de N. Deor: Tum Plato qui de se ingenuè alicubi, Quid  
 Deus non sit video, quid autem sit non intelligo. Vnde vel hac de causa omnis meritò cu-  
 riositas hic fugienda, vanaq; in illum inquisitio præcidenda, quin potè animo illud vol-  
 vendum, quod Deus melius scitur nesciendo, August. lib. 2. de Ord: Quàratione Vates  
 ille haud vanus-Deum esse crede & colito, sed non querito-Nam nil aliud habebis hic,  
 quam querere; Aut ut magis piè, Pius ille Scriptor, Deus religione intelligendus, pi-  
 etate profitendus, sensu verò non persequendus, sed adorandus, Hilar de Trinit. Quo  
 circa ut & Nos vice hac, quæ aliquid quantum homini luce naturali nosse datum, de Deo  
 seu Ente Infinito, quod unice adhuc in cõsideratione Metaphysicæ in residuo restat, propo-  
 nendum, Illius non curiosi at studiosi esse videamur; Paucula insequentia de Eo, ut &  
 de Intelligentiis ac Anima Rationali, de quibus quidem in prægressâ disquisitione agere  
 debebamus, commoduùm verò ob chartæ angustiam non poteramus, inquisitè notanda  
 sunt.

T H E S I S I.

**D**E primo Ente, primo actu, prima causa, Deo Opt. Maximo duo potiss.  
 à Nobis consideranda hoc in loco obviam se dant, An scilicet sit, & Quid  
 sit: Quo ad prius, etsi antiquitus quidam Philosophorum reperti fuere, qui  
 barbaro ore Deos abnegarunt, uti est videre apud Cic. lib. 1. de Nat. Deor. &  
 Plutarch. de placit. Phil. lib. 1. c. 7; Tamen cum nobis verisimile non fiat, ad-  
 eò nullum divinae majestatis sensum in homine reperiri, ut creatorem su-  
 um abnegare audeat, videntur isti non tam Deum, quam multitudinem  
 Deorum risisse.

II. Esse itaq; Deum argumento ut maximo, sic certiss. est, cum gentium  
 omnium consensus, nulla siquidem gens usquam est ad eò extra leges, moresq;



projecta, ut non aliquos Deos credat, Seneca lib. 21. Epist. 118. Tum hominum & bonorum & malorum conscientia, cuius nimis verè magna vis est, Cic. pro Milone, mille quippè testes, Quint. lib. 5. Instit. c. 7: Tum creatura ipse, quarum vel aspectus indicat, minimè omnium illas esse fortuitas.

III. Insuper tum ordo causarum essentialiter coherentium, à quo nil magis est alienum, est aversum, quam non invenire progressionis finem & terminum: Tum ratio finis, quæ non movet sine cognitione; Movet tamen eas causas, quibus non datum est cognoscere effectum suum, & proinde requirit cognoscentem causam, cui bonitas ejus perspecta est.

IV. Tum demum quia omne Ens finitum & factum, ab alio est factum: Illud aliud vicissim vel ab alio factum, vel non; Si hoc, habemus quod volumus, si illud, oportebit ab alio esse factum, de quo ulterius idem inquirendum est, & sic aut procedendum in infinitum, aut circulus committendus, quarum neutrum fieri potest.

V. Sistendum ergò est in Ente non facto, ut & in primâ causâ, quam nos Deum dicimus: Unde quoq; rectè gentium Apostolus concludit, Rom. 1. Gentes ἀναπολογήτως esse, quod cum cognoverint esse Deum, & ex parte qualis esset, tamen mutaverint illum in brutorum formam, id pro Deo colentes, quod vel sensus argueret, Deum nullâ ratione esse.

VI. Porro, quod ad alterum facit, Essentiam Dei naturaliter seu vi luminis natura nemo, quisquis sit, quidditative intelligit, impedimento namq; est partim immaterialitas divina, utpote mētis nostræ aciem omnino exuperans, partim Dei infinitas, virtus enim finita, ut res se cum intellectu habet, infiniti naturaliter non est capax, partim purissima Dei simplicitas, quam mens nostræ, rerum corporearum cognitioni immersa, nunquam ritè & sincerè assequi complectiq; potest.

VII. Partim deniq; quia ea quidditative considerari propriè dicuntur, quæ per definitionem cognoscuntur: Atqui Deo nulla penitus definitio competens est: Non enim generi subicitur, quicquid namq; sub genere aliquo est, duabus constat Entitatibus, altera generis, differentia altera: Deus autem cum perfectissimè simplex sit, ex pluribus Entitatibus compositus esse nequit.

VIII. Neq; etiam per differentiam Deus describitur: Illis enim à quibus de sumenda isthac esset, destituitur, dum nulla est præditus forma, omnibusq; accidentibus, vel communibus vel proprijs caret. Quicquid igitur de Deo cognoscitur, non quidditative, sed per effecta imperfectè cognoscitur.



itur, & quidem triplici modo, ut monuerunt præclare Doctores Scholasti-  
ci.

**IX.** 1. Per modum eminentiæ, quando ea, quæ nobis secundum mensu-  
ram concessa sunt bona, ipsi sine mensura tribuimus, ut ostendamus nihil  
ad perfectionem Ejus deesse: 2. Per modum causalitatis, quando ex operi-  
bus eum omnipotentem, omniscientem, &c. profiteamur; 3. Per modum nega-  
tionis, dum omnem imperfectionem, quæ creaturæ adhuc adhaeret, ab Ipso  
vel maximè removemus, sic dicimus Ipsum esse immutabilem, incorporeum,  
&c.

**X.** Iuxta modos hosie tres omnia, quæ de Deo naturaliter cognita sunt,  
per certa quadam attributa, (quæ tamen non per modum accidentium, nã  
nostro concipiendi modo, verum per identitatem prædicantur) enunciare hæc  
in modum, lubet: 1. Deus est actus puriss. ac simplicissimus: Solus enim hic  
simplex est, in quo nihil in potentiâ, sed in actu omnia, imò ipse purus, pri-  
mus, medius & ultimus actus Scalig. Exerc. 6. S. 2.

**XI.** Quare nec in Deum cadit potentia passiva, siquidem Ille omnia  
passionis expers est, dum à nullo alio dependet, sed à se ipso est, & propriâ  
virtute operatur: Nec compositio, sive sit ex genere & differentiâ uti in ante  
hoc probatum dedimus, sive ex esse & essentia, primum enim Ens aliunde esse  
habere non potest, quàm à suâ essentiâ; sive naturâ & supposito, alias enim  
ipsi tribuenda essent essentialia differentiæ; sive materiâ & formâ, ita namq;  
Deus esset quantus, quod absurdum; sive deniq; ex subjecto & accidente  
quippe accidentia semper quandam finitatem & imperfectionem præ se ferunt.

**XII.** 2. Deus spiritus est, cum sit scil. prima causa, quæ in fluit in omnia:  
V. q; præstet hoc, oportet esse intimè in omnibus, movens siquidem & motum  
debent esse simul; Non posset autem Deus si quoquo modo corpus haberet, esse  
intimè in corporibus, cum non posset unum corpus aliud penetrare.

**XIII.** 3. Deus æternus est: Quia est simpliciss. Ens; si enim compositum,  
atiquando cœpisset, nec esset primum, & cœpisset quoq; ab aliquo, sicq; o-  
mnino progressus esset in infinitum. Est ergò à seipso, per seipsum, seipso, &  
verè αὐτῷ, αὐτῷ ὄν, αὐτῷ φῦσι, ut cum Platone, aut ut cum Scaligero lo-  
quar Exerc. 365, Sect. 2. αὐτῷ τῶν.

**XIV.** 4. Deus est unus, imò ipsa unitas: In seipso enim maxime est indi-  
visus, cum sit essentia simplicissima, divisus quoq; à quolibet alio, & quia  
independentem habet essentiam, quæsi multiplicatur, vel ab aliâ causa



multiplicatur, & tunc independens non est, vel seipsum multiplicat, commu-  
nicando alteri suam essentiam, tumq; quod communicatam habet essentiam,  
dependentem nanciscitur.

XV. 5. Deus infinitus est & essentiâ & virtute: Ejus enim essentia juxta  
mensuram rationis nostri comprehendi nequit, quia est independens, & sic si-  
ne mensura; Sic Dei virtus certo alicui agendi modo non est alligata, proin-  
deq; etiam sine causis secundis agere potest, agendiq; modos in infinitum  
variare, & quidem liberrimè nullo cogente nullo imperante.

XVI. 6. Deus est perfectissimus, optimus, maximus: Quae enim potest esse e-  
minentior perfectio, quam ipse non possidet, quam non universam continet?  
Neq; ulla est bonitas, quae non à Deo promanarit, cum ille sit fons sit scaturi-  
go & principium omnis bonitatis. Nec Deo major quis est in caelo & in terrâ,  
cum, ut essentia, sic potentia ejus sit infinita, quae omnem potest effectum possi-  
bilem, id est, omne quod rationem, ut loquuntur, factibilitatis habet, seu  
quod contradictionem & impotentiam excludit.

XVII. 7. Deus est sapiens: Cum enim causa nunquam toto genere dete-  
rioris sit sortis effectus suo, & homo ratione, sapientiâ, intelligentiâ aliisq; vir-  
tutibus ubertim circumflat; Eundem non à brutâ causâ seu naturâ, sed à sa-  
piente & intelligente esse, quae non alia nisi solus & unicus Deus, invicta seque-  
la est. Et sanè cum in aprico sit, omnia à Deo sapientissimè ordinari, moveri,  
conservari, quis Eum sapientem neget?

XVIII. 8. Apud Deum non est ulla transmutatio, aut vicissitudinis ob-  
umbratio: siquidem est ipse tunc causa prima à nullo dependens, tunc omnis  
passivae potentiae expers. Et licet Affectus qui Deo attribuuntur, aliquè vicissi-  
tudinem importare videantur, Tamen de ijs pulchrum hoc Cyrilli monitum  
notandū, ubi ait; Relatione ad creaturas quaedam de Deo dicuntur tēporaliter,  
& dicuntur illa secundū accidens, non quod substantiae ipsius Dei aliquid ac-  
cidat cū mutatione, sed secundū accidens creaturae, in quâ fit mutatio, &c.

XIX. 9. Tandem Deus omnia agit, omnia molitur, & nunquam à curatio-  
ne ac administratione rerum creaturarum vacat: Eleganter enim scribit Ci-  
cero in lib. 1. de N. Deor: Si Deus non potest nos juvare, nec vult, nec curat o-  
mnino, nec quod agamus animadvertit, nec est quod ab ipso ad hominum vi-  
tam permanere possit; Quid est, quod ullos Deo immortalis cultus, honores,  
preces adhibeamus? Atq; sic brevibus, quantum ratione de Deo cognosci pos-  
sit, vidimus.

XX. Caterum dandas esse Intelligentias, seu, si mavis, Angelos, vel haec  
ratio



ratio documentum dat clarum, quia omisso aliquo formarum gradu, nec absoluta videtur rerum varietas ac pulchritudo, nec coherencia conveniens, id quod tamen nullâ ratione admittendum, bonitas namq; Dei aliâs modis laboraret multis; Deesset autem manifesto aliquis formarum gradus, si non sunt Intelligentiæ, formæ à materiâ planè independentes: Ergo

XXI. Sunt verò Intelligentiæ, sic dictæ à perfectione illâ, quâ ducuntur in amorem primæ causæ, cui semper præsto sunt, Scalig. Exerc. 359. Sect. 1; substantiæ incorporeæ, ex actu & potentiâ compositæ: Substantiæ dicuntur, æquè enim per se subsistunt ac subsistant, ut corpora, indeq; omninò ad prædicamentum substantiæ, & quidem directè, pertinent.

XXII. Dicantur incorporeæ, quia à materiâ non dependent, sed ab eâ penitus liberæ sunt; Demum dicuntur compositæ, quia constant & ex aliquo tanquam actu, quia per se subsistunt, & operantur ab alijs rebus distinctæ; Et ex aliquo tanquam potentiâ, quia pendent à primâ causâ, omninò verò dependentia clarè passivam arguit potentiâ.

XXIII. Ex dictis his est collectu facile, partim quod Angelorum essentia finita sit, dno enim Infinita esse nequeunt, neq; in naturâ, neq; extra naturâ, Scalig. Exerc. 559, sect. 3; Partim quod ex dictâ jam causâ finita quoq; sit eorum virtus & potentiâ, in tantum ut non possint ullam mutationem Physicam, præter localem motum, edere, non nisi activa passivis, sic loquuntur adplicent; Partim quod numero finiti, quia extra unum infinitum sunt.

XXIV. Quæ omnia tamen per quandam analogiam à rebus corporeis desumptam, illis attribuuntur, sine quantitate, qualis illa qualis, sine figura, quâ penitus immunes sunt: Quæ de causâ etiam Angeli nec moventur motu Physico locali, partem enim extra partem, ob quantitatis defectum, non habent, nec sunt in Vbi circumscriptive, sed definitivè, quod ratione cognitionis nostræ in genere per efficaciam operationum, quam attribuere absentibus non licet, definitur, nec demùm tempore, sed ævo, quod mensura durationis est habentis initium sine fine, mensurantur.

XXV. Et licet Aristoteles Intelligentiâs, non citra prægnantes & momentosas causas, orbium caelestium motrices constituat: tamen de hoc ipso nihil aliud adfirmare habemus, quam esse scopulam aliquam difficilem, & à sensibus nostris nimis remotum sacrarium, in quod natura nondum nos admisit. Potius igitur adhuc de illis hoc notandum, quod intelligant quisquid Nos intelligimus, sed modo perfectiori.

XXVI. Vbi quatuor cum omni diligentia advertenda Nobis obviam se dant:



dant: 1. Objecta quae cognoscunt Intelligentia, quae natura sunt vel superioris uti est Deus, cuius universam quidditatem & essentiam non capiunt, sed enim solum ex operibus cognoscunt, longe tamen modo perfectiori, quam Nos; Vel aequalis, ut quando propriam intuatur essentiam, Vel inferioris, ut omnia sunt inferiora intra ordinem naturae contenta, & sunt aut necessaria, minimeque angelorum fugiunt captum, aut futura contingentia & possibilis de quibus nil intellectu adsequuntur, nisi divina adjuventur gratia.

XXVII. 2. Actus cognoscendi, qui non ipsa angelorum est substantia, sed operatio adveniens, quae magis & magis, non quidem essentialiter, at n. accidentaliter perficiuntur. 3. Modus cognoscendi, qui non, ut nobis usu venit, absolvitur discursu, sed intuitu, qui a deo excellens, ut non circa accidentia saltem versetur, verum ipsam penitus rerum essentiam penetret.

XXVIII. 4. Denique Principia ad cognitionem necessaria, sunt vel Intrinsicca, & iterum aut primarium, ut est ipsa angelorum essentia, aut secundarium, estque essentia adhaerens potentia, quae facit, ut non omnia actu ipso angeli cognoscant: Vel Extrinsicca, ac sunt species intelligibiles, quae indubium modo eminentiori illis insunt, cognitionemque eorundem adjuvant.

XXIX. Ad extremum Anima rationalis, quae quae originem divina, quae essentiam materiae omnis expers, quae intellectionem ad omnia cognoscenda habilis, quae voluntatem libera, quae durationem immortalis, Forma est partim a materia, ut ex operationibus eius res est manifestaria, partim sine eadem dependens: Plura de anima subsistentia, sicuti & de Intelligentiis non percipit Metaphysica, qui igitur exactiorem & perfectiorem tractationem desiderat, fontes Israelis limpidissimos intueatur, unde ea sine turbulentiâ hauriri potest.

#### A D J E C T A N E A.

1. Trinitatis mysterium per naturalem rationem cognosci nequit. 2. Deus omnino vivens est substantia. 3. Idem nec major est in magno, nec minor in minimo, August. 4. Estque totus oculus, quia omnia videt, totus manus, quia omnia operatur, totus pes, quia ubique est, Idem. 5. In eo etiam non est aliquid quod non sit Deus. 6. Ac cum omnia possit, non vult omnia. 7. Futura insuper contingentia certo cognoscit. 8. Quae tamen non possunt fieri, quam praeterita non fuisse facta. 9. De ordine & numero angelorum certi quid affirmare non habemus. 10. Diaboli nec vaticinari, nec miracula edere, nec abstrusas cogitationes hominum scire possunt.

F I N I S.



Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17









A. A. C. C.  
DISPUTATIO  
TATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XXXIII.

De  
INTELLIGEN-  
ET ANIMA RATIO-  
NALI,

Quam,  
Magistro adjuvante Numine,  
SUB PRÆSIDIO

UBIÆ TILMANI

Mag. Colleg. Philos. Adjuncti,  
in exercitij gratiâ defendendam suscipiet,  
NICOLAI MECHOVIUS  
Stadensis Saxo,

Mag. in VVittebergensi Academia,  
die 19. Januarii horis 8 loco solitis.

Cyprianus in Symb.  
etiam vera dicere periculosum est.

VVITTEBERGÆ,  
anno Gormanni ANNO M. DC. XI.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

B.I.G.

